

23
L. N. J. 10 C.
DISSERTATIO ACADEMICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
**AN FELICITAS
REIPUBLICÆ EX
MULTITUDINE CIVI-
UM PRÆCIPUE SIT
ÆSTIMANDA?**

QUAM,
Consentiente Amplissima FACULTATE Philosoph.
In Regia ad Auram Academia,
PRÆSIDE
**MAG. JOHNNNE
BILMARK,**
HISTOR. & PHIL. PRACT. PROFESS. Reg. & Ord.
Pro Summis in Philosophia honoribus obtinendis
publice ventilandam sistit
ANDREAS HEINRICIUS,
Wiburgensis.

Die XX. APRILIS Anni MDCCLXV.

L. F. Q. A. M. S.

***** (°) *****

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Kongl. Maj:ts
Tro. Tjenare och Håradshöfvinge

Öfver Stora Samolay,
Ädel och Sögattad,

Herr **CARL WILH.
MALLEEN,**

Min Högtårade Kjäre Fader.

Din värling af glädje och sorg har ifrån werldens första grunning varit Adams Efterkommanders säkra lott. Ut förtiga andra prof häruppi, har jag äfwen i min lifstid fått ärfara denna ändring. Mina första barna är tillbragtes i idel fågnad under en öm och huld Faders skötsel; men då jag måst tycktes behöfwa Hans råd och hjälp, behagade Den Högste GUDen, til min bitter affäknad, hädanfälla Honor til sina glädje boningar. Min lycka syntes nu med Honor bädda sig i mörkret; men Den Wilda Försynen, som underligen förer oss här i werlden, förflingrade war dimba, och lätt wårt hepp sol upgå, då Min Huldaste Fader ingick et Christligt Ägta Förbund med min Kjäre Moder. Jag har ifrån den tiden rönt samma godhet och ömhet, som jag ärfor hos min Salige Fader; så at jag ej saknad annat, än blotta namnet. Inga råd och inga omkostningar hafwen I sparat, at besträma min wälfärd. Sådant Edert önnestfulla sinne emot mig åtkänner jag med all barnslig wördnad, och til et ringa medermåle af min tacksamhet har jag nu äran at upoffra Eder, Min Huldaste Fader, detta lilla Academiska Arbete. Anseen mit företagande med Eder wanliga godhet, så skal jag aldrig underlåta, at för Eder beständiga wälgång anropa Den Högsta GUDen, och med djup wördnad framhärda

Min Huldaste Faders

ödmjukliggste Son

ANDERS HEINRICIUS.



S. I.



Habent omnes ferme disciplinæ sublimes quosdam dogmatum apices, quos attingere vel nemini, vel paucis tantum mortalium, & quidem post plurimum sæculorum industriam, conceditur. Quinam hi sint in aliis aliisque scientiis, nostrum non est jam exponere; sufficiat indicasse, quod inter Politicos multum agitata fuerit quaestio: in quo felicitas civitatis præcipue consistat? Arduum omnino problema; quippe a cujus resolutione & dextera executione generis humani salus, ad quam singuli votis, consiliis atque factis anheli contendimus, admodum dependet. Mitto varias variorum in hoc argumento sententias, & tantum moneo, quod ab antiquissimis retro temporibus plurimi fuerint, qui felicitatem rerum publicarum ad eandem decempedam, qua illarum amplitudinem exigere voluerunt; imperia quævis tanto feliciora rati, quanto plures ipsis subjectæ essent regiones. Quare etiam dum VIRGILIUS introducit Jovem, qui solatur Venerem, casus Aeneæ impotenter ferentem, Romanos, ex Herois hujus stirpe orituros, ita prædicat:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,

Imperium sine fine dedi (a).

A

Non

Non equidem dubito, quin hæc opinio valde arri-
ferit Principibus, ad immortalitatem nominis per-
res, in diffitis maxime regionibus fortiter gestas, am-
bitiose contendentibus, non tamen propterea vel ra-
tioni convenit vel experientiæ. Pendet enim felicitas
integræ civitatis ex salute incolarum, adeo ut quo ma-
joribus hi fruantur commodis, eo etiam major illa sit
censenda. At amplissimum imperium nec comparari abs-
que cruentis præliis, nec conservari sine expeditis pot-
est phalangibus; quo in strepitu, iusta tranquillitas, quæ
non ultimam felicitatis civilis partem constituit, frustra
speratur. Nec tantum est vastorum regnorum robur, quan-
tum e longinquo mentitur; sed infirmitatum plura oc-
currunt vestigia. Magna quidem in his sunt vestigia,
sed magni quoque sumtus; perinde ac in magna domo
multi sunt, qui laborant & multi etiam qui collecta con-
sumunt. Præterea vicinorum ea est consuetudo, ut quan-
tum accedere potenti Principi virium animadvertant,
tantum putent detrahi suæ securitati. Quam quia nemo
volens negligit; hinc invidia, illinc odium gravissimas
suscitant procellas, quæ vastissimis imperiis maximam
sæpe intulerunt cladem, ceu Historia adfatim comprobat.
Potentiam Macedonum vehementer quidem auxit ALEX-
ANDER MAGNUS, amplissimum Persarum imperium
in suam redigendo potestatem; quod autem vel suam
vel civium, qui instrumenta victoriarum ejus fuerant,
ita promoverit felicitatem, nemo facile adfirmabit. Re-
gnum enim incompositum reliquit, id est: matri, uxori,
liberisque perniciem, & amicis continuam digladiandi ma-
teriam. Et Argyræspides non lauta spolia, sed profun-
das cicatrices & sædam canitiem in patriam, viris & o-
pibus exhaustam, retulerunt. Atque ita dilucide constat
effatum Poëtæ: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achi-
vi.* Nec meliorem aliorum regnorum conditionem re-
perio;

perio; quippe dum modica eorum fuerunt pomœria, ner-
vorum suum florem ostentarunt, at ubi in immensum
creverunt, sua potissimum mole contrita fuerunt. Atq;
ut paucis multa complectar: in magnis imperiis aut me-
tus aut cupido aut cura, in plerisque aut splendida mi-
seria aut opulencia sordida. Cum itaque opinio de fe-
licitate civium, ex amplissimo imperio metienda, tot tam-
que firmis rationum arietibus sit concussa, non solum
paucissimos jam invenit defensores, sed & principum
ardor imperii limites continuo prorogandi admodum de-
ferbuit. Contra ea, postquam Oeconomix strenuam ope-
ram navare cœpit orbis litteratus, perquam invaluit o-
pinio, quod felicitas reipublicæ ex multitudine civium
præcipue dependeat, pro qua defendenda, tanquam pro
aris & focis, pugnarunt SAAVEDRA (b), TEMPLE (c),
SUSSMILCH (d), FAGGOT (e), BERCH (f), BRING (g),
aliique, quorum tamen effata jam adducere, proposita
vetat brevitatis. Quamvis autem non negemus, quin per
hanc sententiam generi humano egregie, uti par est, con-
sulatur, & cum republica quavis, viris exhausta, pessi-
me agatur; non tamen animum inducere possumus, ut
credamus, solam hominum copiam omne felicitatis pun-
ctum ferre. Paucis igitur in præsentī dissertatione osten-
dere conabimur, felicitatem civitatis non tam ex quan-
titate, quam potius ex qualitate incolarum esse æstiman-
dam. Quod si successerit, meditationibus forte non in-
gratis ansam præbebit; sin minus, innoxios tamen
hos conatus, & constitutionibus Academicis (h) conve-
nientes, Benevolus Lector meliorem in partem pro ea, qua
est, humanitate interpretabitur.

(a) *ÆNEID. Libr. I. v. 282. 283.* (b) *In Iaca Principis Chris-
tiano-Politici 66. Symb. p. m. 538.* (c) *Vid. RECHERCHE du commerce en
Irlande.* (d) *In Gotti. Ordnung mensch. Geschl. & Epistola Dedicatoria ad
Regem Borussia.* (e) *Vid. Svenska Landbrukets hinder och bjelp. p. 49.*

(f) Vid. ejusd. *Politiska Arithmetica* pag. 60. (g) *Conf. Dissert. De multitudine incolarum, fundamento felicitatis civilis.* (h) *Cap. XXXII.* S. 29.

§. II.

Antequam ad ipsum argumentum enucleandum nos accingimus, erunt nonnulla præmittenda, cum, ut quæ dicenda sunt, melius intelligantur, tum etiam, ut controversiarum materia quodammodo tollatur. Felicitatem, in genere consideratam, per *fruitionem boni* definit CICE-RO (a). In quo autem bonum civile præcipue consistat, inter se non conveniunt Auctores, cum alii in opulencia civitatum, alii in fortitudine & numero copiarum, vel similibus rebus idem constituent. Nos vero felicem nuncupamus rempublicam, in qua cives commoditate, tranquillitate & libertate gaudent, his prærogativis rite utuntur, & easdem contra exteriorum vim masculine defendere possunt. Atque hæc tria momenta, tanquam cardines, quibus publica & huic innixa privata salus nitatur, cordati proponunt Politici. Unde etiam gravissimus Auctor Svecanus: *En at thet är almogans lif of hälla of gagh of glädi, hawa sfred of svelle of goda samsjo inbyrdis, id est: Hæc est civium vita & salus & commoditas & oblectamentum, ut habeant securitatem & libertatem, mutuanque concordiam* (b). Recte omnino hæc conjungit; opulencia enim &, quæ per ipsam paratur, commoditas, sine tranquillitate oneri magis, quam utilitati civibus est; siquidem & sibi & bonis, sive a natura concessis sive industria quæsitis, quotidie timebunt. Quid rursus prodest securitas hominibus, rerum necessariorum copia destitutis, aut quid juvant divitiæ & tranquillitas incolas, in servilem conditionem redactos? Præterea vero necesse est, ut tanta fortunæ munera reverenter habeamus, ne beneficam suam indolem vel nimio vel perverso usu amittant. Sicut enim nimia alimentorum copia vi-

res

res corporis enervat potius, quam confirmat; ita ex felicitatis intemperantia gravissimæ sæpius exstiterunt calamitates. Quare *Florus* aperte testatur, quod *nulla alia res furores civiles Romæ pepererit, quam nimia felicitas* (c). Dictis unicam adhuc observationem addo: licet ob rationes gravissimas, a nobis mox adferendas, felicitatem civitatis ex numero incolarum præcipue non æstimemus, hæc tamen eo non sunt trahenda, quasi probare velimus, multitudinem civium reipublicæ inutilem esse. Hoc potius tenendum, quod sicut ceteris paribus eo felicius judicamus imperium, quo pluribus gaudeat incolis; ita si cetera fuerint imparia, possit tamen aliqualis hominum defectus, modo nimius non fuerit, egregiis institutis & aliis modis ita refarciri, ut de sincera felicitate sibi in sinu gratulari queant.

(a) *Vid. Lib. V. Quæst. Tuscul.* (b) *Vid. Rununga of Gösdinga Styvise p. m. 20.* (c) *Conf. ejusd. Hist. Lib. III. Cap. XII.*

§. III.

Vidimus modo, quibus potissimum momentis felicitas civilis absolvatur; in eo igitur cardo rei nunc vertitur, ut despiciamus, quibus modis pretiosum adeo thesaurum obtinere, & obtentum conservare possint cives. Sicut igitur cana recte censuit antiquitas, quod invia virtuti nulla sit via; ita hæc comite & duce ad amœnam felicitatis ardem per varios casuum anfractus eniti licet. Et cum nemo fortunam sibi ipsi fingere possit, sed quisque, qui modo in meridiana non cæcutit luce, fida doceatur experientia, felicem rerum nostrarum successum a benigno Summi Numinis moderamine tantum dependere, homines etiam, quibus salus civilis cura cordique est, nihil tantopere desiderant, quam ut ad voluntatem DEI

A 3

omnia

omnia & dicta & facta sua componant, atque ita largam Ejus benedictionem cælitus devocent. Valeat Trojanorum palladium, habeant sibi Romani sua ancilia, sola est religio, quæ sedulo, uti decet, culta civitates securas reddit & firmissimum illis substernit fulcrum. Quid enim jucundius, quam una vivere cum hominibus, qui vero Numinis sensu imbuta gerunt pectora, quique adeo sollicitè cavent, ne factis suis DEUM offendant & conscientiam suam lædant. Nulli tum fabricantur doli, nullæ struuntur insidiæ; nam ab injuriis abstinēt, qui DEUM injuriarum ultorem metuunt. Enimvero cum singuli non intelligant, quid ad salutem publicam apprimè conducatur, sed falsum pro vero & malum pro bono sæpe amplectantur; circa ipsa rerumpublicarum initia introductæ fuerunt leges civiles, quæ præcipue determinant, tam quid sit faciendum & omittendum, quam poenas, quæ legum transgressores manent. Hæ igitur si probe observentur, nemo civium erit, qui ad publicam salutem promovendam symbolam quandam non confert, & sub tutissimo legum umbone sua quotidie non auget comoda. Præterea vero in republica bene constituta necessarium est, ut sedulo colatur justitia, quæ in rebus civilibus maximum momentum habet, unde etiam Chorus apud Euripidem in HELENA ira canit: *οὐδὲν ποτ' ἐν πόλει ἐνδίκῃ γένοιτο. Ἐξ γὰρ δυνάμει δ' ἰλπίδας σπέρμεται*, id est, *Nemo unquam injustus fortunatus fuit*. - - - *In justitia autem spes salutis.* Ex virtutibus modo memoratis nascitur mutua civium concordia, qua reipublicæ robur præcipue absolvitur. Ingruant enim, ut varii sunt hominum casus, adversa tempora & hostes ad imperii limites acriter fulminent, cives mox quasi non tam publica quam privata ageretur res, animos, consilia & vires arctissime conjungunt, ut procellas has depellant & aliam reducant serenitatem. Quod cum sciant vicini, unanimem

adeo rempublicam temere non adgredientur; probe gnari, quod non solum universorum impetum sustinere, sed & singulorum industriam ac fortitudinem continuo experiri cogantur. Hæc in sago præstat concordia, cujus vero in toga non minor est splendor, cum per ipsam egregia instituta promoveantur, & res parvæ tenuesque ad eximium gloriæ & potentiae fastigium perducantur. Porro ut necessariis sufficiant sumtibus, justī laboris molestias non detrectant, nec assam columbam, per aërem venturam, expectant cives. Bene enim SALLUSTIUS: *Non votis, nec suppliciis muliebribus auxilia Deorum comparantur, vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Ubi socordia atque ignavia te te tradideris, nequicquam Deos implores, infesti iratique sunt* (a). Paucis: ubicunque vera Religio, alma justitia, concordia, amor in patriam, aliæque his cognatæ vigēt virtutes, ibi nitent oppida, florent rura, scientiæ excoluntur, artes fervent, negotia quævis & prudenter suscipiuntur & fortiter geruntur, atque cives secundæ fortunæ muneribus sine ægritudine & sine ullo detrimento sobrie fruuntur. Quare JUVENALIS:

Semita certe Tranquilla per virtutem patet unica vita. (b). Tolle vero metum Numinis, tolle justitiam & concordiam, cives non tam bonos efficies, quam callide subdolos, non tam cultores virtutis, quam vitiorum dissimulatores, qui summa imis miscent.

(a) In bello Galil. Cap. 52. (b) Vid. Satyr. 10.

§. IV. His jam præmissis, ad problematis propositi resolutionem nos conferimus, argumentorum non numero, sed pondere offensuri, quod felicitas reipublicæ a numero civium non tota dependeat. Evictum nempe modo

modo dedimus, quod imperium tum felix atq; perpetuum sit, si virtutibus fulciatur; quare si omnes homines essent boni, omnino foret concedendum, felicitatem reipublicæ tanto maiorem esse, quanto plures in eadem reperiantur incolæ. Enimvero cum in magna hominum multitudine, fida teste experientia, alii & ii quidem admodum pauci virtutem impense colant, alii parum curent, multi vero, ne quidem quid ipsa sit virtus, intelligant; vel sic generaliter constat, quod vera civitatis felicitas ex sola incolarum quantitate non sit metienda. Addo, quod vitiorum non minor, quam morborum epidemicorum sit contagio, quæ proinde in densa hominum turba plures adficere potest, atque ita a felicitatis sensu ipsos arcere. Ut vero maiorem adhuc sententiæ nostræ foeneremur lucem, comparemus inter se, numerum civium atque tria illa momenta, quibus felicitatem civilem consistere supra adseruimus, & primo quidem consideremus eam etiam. Hanc ex incolarum opibus præcipue æstimamus; non tam obscuras Principum cellas, quam distentas civium erumenas tutissimum ærarium rati, idque auctoritate ELISABETHÆ, Angliæ Reginæ, quæ civibus, tributa sibi offerentibus, dixisse fertur: *qu' elle trouvoit ces déniers aussi bien dans la bourse de ses sujets, que dans la sienne* (*). Ponamus nunc, duas esse civitates A & B, magnitudine & bonitate soli pares; habeat autem A duplo plures incolas quam B: quod si præterea A tam quod ad agriculturam, quam ceteras quoque artes fuerit duplo magis exulta, quam B, & iustitia distributiva in A & B æqualiter observetur; evidens est, quod hætenus opulentia civium in utraque republica sit plane eadem. At si minor fuerit civitatis A cultura, quam dupla ipsius B, quod plerumque contingere solet; minor quoque erit singulorum opulentia in A quam in B, vel si hæc nihilominus utrobique æ-

qualis

qualis sit, cives in A multo duriores perferent labores, quam in B; ac proinde minor etiam erit commoditas in A, quam in B. Quæ hinc existunt mala luculenter sese produnt, si iustitia distributiva in magna hominum frequentia exacte non observetur; si quidem ditissimi civium, si vel aliquantum tenaces fuerint, pluribus aliis necessaria victus & amictus instrumenta sensim subtrahunt. Paucis; numerosi cives plurima quidem, si universos simul spectemus, lucrari possunt, sed cum plurima quoque indies consumant, residua, ex quibus commoditas singulorum æstimanda, rationem civium non sequuntur. Pergimus ad securitatem, quæ vel interna est vel externa. Cumque, ut modo observavimus, in magna hominum frequentia major pars vitilis delectetur, si numerus pravorum in eadem tantum ratione, qua multitudo civium crescat, securitas interna, quæ ex virtutum ante memoratarum copula dependet, major certe non erit in numerosissima civitate A, quam in B. Si vero, quod magis probabile est, numerus malorum hominum in A fuerit ad horum numerum in B, in majori, quam modo indicavimus, proportionem, securitas interna, quæ est in ratione reciproca malitiæ incolarum, minor erit in A, quam in B. Præterea licet ingentes copię magnum sint civitatum præsidium, non tamen adfirmandum, quod securitas externa ex militum numero unice sit metienda; præsertim cum experientia doceat, quod haud ita magna manus hostium impetum non solum sustinuerit, verum etiam amplissimas eorum cohortes fortiter prostraverit. Scilicet phalangum raritatem admodum suppleant ducis prudentia, nec non iusta civium disciplina, frugalitas, concordia, intensissimus in patriam amor, & qui inde nascitur, contemptus mortis & periculorum, qui animos attollunt, simulque efficiunt, ut imminenti calamitati depellendæ sese suffecturos nunquam desperent. Denique cum libertas civilis, quæ ad felicitatem nostram per-

B

quam

quam conducit, sit facultas, quæ ex indole imperii atque potestate, quam in Principem contulerunt cives, dependet, luculenter patet, quod hæc ipsa a multitudine civium haud sit æstimanda: quin potius, cum in numerosioribus civitatibus plures sint, qui libertate sua temere abuti & possint & soleant, in illis quoque ipsa variis legibus magis magisque circumscripta fuit. Ne quis de hac re dubitet, percurrat diversas respublicas, ut compariat, quod quamdiu civium numerus ultra mediocritatem non excrevit, eximia hi gavisi sint libertate; quorum vero Nepotes, continuis accessionibus numerosiores facti, formam regiminis mutare & cum libertatis quodam dispendio felicitatem quærere sunt coacti. Cum itaque opulentia, securitas, atque libertas civium, in ratione multitudinis illorum non crescat; firmiter nunc concludimus, felicitatem civilem ex solo numero incolarum non esse æstimandam. Atque hoc suo jam tempore vidit ISOCRATES, qui in Areopagitica ita loquitur: *Felicitas urbium non in magnifica murorum structura, nec in numerosa civium multitudine consistit, sed sapientibus & moderatis reipublicæ gubernatoribus & legibus continetur.*

(*) La Motte dans L' instruction de Monsieur Le DAUPHIN.

§. V.

Quoniam vero eruditis, qui felicitatem reipublicæ ex numero civium præcipue æstimant, argumenta varia, eademque satis speciosa, adferunt, quibus suam corroborare solent sententiam; instituti nostri ratio postulat, ut ipsa breviter nunc examinemus. Graviter itaque contendunt, per auctum civium numerum agriculturam, ceterasque artes, quæ commodioris vitæ præbent adminicula, valde promoveri: ærarium publicum insigniter locupletari: atque imperii dignitati per ingentes copias, quæ in aciem, quoties necessitas exigat, produci possunt, plurimum auctoramenti accedere.

Ut

Ut vero his rationibus tanto majus robur addant, fundamenti loco adsumere videntur, omnes incolas vel bonos esse, vel saltem per idoneas leges & præclara instituta ad sedulam virtutum culturam haud operose formari posse. Verum ne his quidem prolatis nos causa nostra cecidisse arbitramur; quod, singulis momentis rite perpensis, luculenter patebit. Licet enim non probabile modo, sed maxime necessarium sit, agrorum pomœria per crescentem hominum numerum quotannis extendi, cum tamen alma Copia in muneribus suis distribuendis industriam civium solam spectet, ex agricultura ultra necessarios usus tantundem pro rata lucrari possint illi, qui numerosam, quam qui numerosissimam incolunt civitatem. Quod vero ad artes sic dictas manuiarias adinet, ipsæ quoque in magna urbium & hominum frequentia non possunt non florere, cum plurimi sint, qui operibus manus admovent; at maxima hic opus est circumspeditione, ne benignam ipsæ indolem suam amittant. Multiplex enim docuit experientia, cum quod oppida, dum nimium pretium artibus his fuit statutum, multos quidem acceperint incolas, rura autem industrios desideraverint colonos, tum quod leges perverso horum in urbes commigrandi studio cohibendo ubique locorum non suffecerint. Unde porro factum est, ut necessaria vitam sustentandi adminicula minus obvia fuerint, & proinde horum pretia continuo increverint. Deinde sicut artes manuariæ civitati cuilibet valde profunt, dum mediocritatis termino continentur; ita hunc transgressæ luxum, prædulce illud malum, plerumque introducunt, qui opes eorum, quos artes paulo anteditaverant, sensim depascitur & publicam gignit inopiam; immo velut per seriem quandam malorum fit, ut ingenui mores vehementer ita corrumpantur. Enim vero cum felix, quam proposuimus respublica, cives soler-

tes & virtutum studiosos alat, pars etiam horum artibus quibusvis liberalibus strenuam navat operam, adeoque ceteri opus non habent, necessaria commoditatis instrumenta a fuscis sibi comparare Indis. Eto autem, quod non admodum multas pretiosas merces ad exterarum transferre queant nationes; simul tamen verum est, quod rebus alienis, quæ splendore magis, quam utilitate sese commendent, haud difficulter carere queant; pulchrum solummodo putantes, quidquid civium suorum produxerit solertia. Præterea non est diffitendum, quin ærarium valde locupletetur, cum in republica, civibus abundante, singuli pro rata symbolam in illud conferunt, nec tantæ opum accessiones in minori hominum frequentia sint sperandæ; juxta tamen modeste opinamur, non tam divitem esse Principem, qui multa possidet, quam cui nihil deest. Adeoque cum in republica non tam numerosa, quam virtutibus probe exulta, cives & opes &, his longe cariorem, vitam patriæ suæ libenter devoveant, Princeps heic in modicis vectigalibus atque suorum frugalitate æque firmum invenit rerum gerendarum nervum, ac alius ex thesauris anxie congestis. Quis porro ferret calculos ita subducentem: quo ampliores in ærario coacervantur opes, eo plura quoque bona singuli possident cives; cum & ratio & experientia huic contrarietur opinioni. Ulterius sicut valetudinis firmitas ex crassitie atque proceritate corporis non est æstimanda; ita nec potentia civitatis ex numero militum, quos sustentat & in aciem producere potest, tota dependet, quemadmodum paragrapho antecedente pluribus ostendimus. Denique cum multi existiment, sincerum virtutis studium nationi cuilibet facile instillari posse, adeoque summam rei in eo potissimum consistere, ut numerus incolarum augeatur; minuenda omnino erit hæc opinio. Profecto qui talia jactitant, sibi

sibi minime exploratam habent mortalium pravitatem atque feroces eorum inclinationes, quæ gravissimas ipsi moras neccunt, quoties per asperam virtutis semitam ad felicitatem eniti cupiunt. Conentur modo, inveteratorum præjudiciorum lenocinia in aliquibus tollere, & experientur, quod durissima etiam saxa ad quamlibet figuram facilius effingi, quam illorum actiones ad optimarum legum normam jugiter componi queant. Quanto igitur difficilior erit, integræ cujusdam nationis mores mutare & ipsam ad meliorem reducere frugem; cum singuli multa discere & plurima dediscere debeant?

VI.
Juvat nunc Historiarum excutere monumenta, atque sedulo inquirere, an imperia quævis tanto feliciora fuerint, quanto pluribus gavisæ sunt incolis. Sive igitur antiquitatem sive hominum consideremus frequentiam, procul dubio regnum Israëlitarum inter cetera locum haud ultimum sibi vindicat. Floruit autem illud omnium maxime, Regibus DAVIDE & SALOMONE, sub quorum auspiciis non solum multæ vicinarum provinciarum superatæ, verum etiam commercia admodum fuerunt promota. Numerus etiam hominum, Palæstinam tunc incolentium, magnus adeo fuit, ut fidem superaret, nisi fide dignissima & exceptione omni majora haberemus testimonia. Nam ex 1 Chron. XXI: 5. adfatim constat, quod numerus eorum, qui per regnum Israëlitarum armis ferendis pares erant, fuerit 1500000, adeoque si ex computatione, Politicis familiari, adsumamus, numerum horum esse ad reliquum populum, uti 1 ad 4 circiter, universa Israëlitarum natio, nondum tamen computatis tribubus Benjamin & Juda, fuit sex miliones; his vero adjectis, impleverat octo miliones fere. Quem tamen numerum, utcumque vastum, vero tamen minorem potius, quam majorem fuisse, perquam verisimile

mile est. Quæri nunc potest, an felicitas populi Israël-
tici civilis eximia quoque his temporibus fuerit? Ad
quam quæstionem distincte est respondendum. DAVIDE
ad gubernacula imperii sedente, laeta fuit civium condi-
tio. Licet enim continua fere bella cum Philistæis,
Moabitis, aliisque gesserint, atque imperium internis, eis-
demque gravissimis moribus interdum agitatum fuerit; ex
his tamen malis non sua multitudo, sed favente Summo
Numine, superiores semper evaserunt Israëlita. A DAVI-
DE ad SALOMONEM, Regum Sophorumque Phœnicem,
transitum facientes deprehendimus, quod eadem homi-
num multitudo intra breve spatium & floruerit & vitam
per extrema quævis traxerit. Nimirum cum circa impe-
rii initia Rex hic prudenter ac juste regnum suum admi-
nistravit, læta admodum halcyonia agebant Israëlita; at
ubi opulentia luxum introduxerat, ipsa copia ad tristem
redacti fuerunt inopiam. Notum enim est, quod SALO-
MON non uxores modo, sed greges feminarum in ma-
trimonium duxerit, mensas suas amplissimas opiparis e-
pulis non tam ornaverit, quam quotidie oneraverit, &
numerossimas denique copias sustentaverit; quibus o-
mnibus cum ordinarii nequaquam sufficerent reditus, no-
vis continuo tributis populum vexavit, & quem servare
debuisset, temere oppressit. Tristem in quam ita redacti
fuerunt Israëlita conditionem satis colligere possumus ex
supplicibus precibus, quibus REHABEAMUM, filium SA-
LOMONIS, ad misericordiam & molestiarum levamentum
permovere ante studuerunt, quam homagium ipsi præsta-
rent. Ita enim ferocem hunc Principem alloquebantur:
*Pater tuus jugum nimis durum nobis imposuit; minuas Tu
illius gravitatem, nec fidem nostram & obsequium desidera-
bis, 1 Reg. XII: 4. 2 Chron. X: 4.* Profecto querulæ ejus-
modi voces non indicant gentem, cui ex votis cuncta
succedunt. Dicat forte quispiam, vulgi animum semper
esse

esse mutabilem, suæque sorte raro contentum, adeoque
fieri potuisse, ut Israëlita, quæ ipsorum fuit levitas, præ-
ter fonticas causas ægre tulerint imperium SALOMONIS.
Enimvero facilius ista venditantur, quam probantur. Præ-
ter acerbas enim populi exactiones, quarum nuper men-
tionem fecimus, magnam quoque ejus partem gravissimis ope-
ribus conficiendis distinxit; quibus non pauci præter ne-
cessitatem absunti, & reliquorum pectora admodum exa-
sperata fuerunt. Quare etiam cum REHABEAMUS eo-
rum animositatem non mitigaret, sed arroganter exaspe-
raret, factum est, ut decem tribus ab eo confestim defi-
cerent & novum sibi eligerent Regem. Ex quibus lucu-
lenter colligere possumus, ringentibus licet multis, solam
civium multitudinem non esse fundamentum felicitatis
civilis, sed hanc ex indole civium, quibus Supremum
Numen benedictionem suam, tanquam præmia virtutis,
jugiter cultæ, largiatur, præcipue æstimandam esse.

§. VII.
Si aliarum quoque gentium fata probe expendamus, lu-
culenter patebit, quod vera felicitas civilis ex multi-
tudine incolarum non admodum dependeat. Compare-
mus igitur inter se Persas Græcosque, illis præsertim
temporibus, quibus MILTIADES, THEMISTOCLES, A-
RISTIDES, ceterique vixerunt Heroës, quam ætatem flo-
rem atque juventam Græciæ haud immerito dicimus.
Luxuriabat tunc Persia & opibus & incolis, quorum in-
tuitu vix manipulum sustentabat Græcia. Hæc tamen &
justa gavisa fuit libertate, & de eximia tranquillitate sibi
gratulari potuit; quas fortunæ dores penitus ignorarunt
Persæ. Ingentes quidem erant Regum Persarum thesau-
ri & splendidi militum apparatus, sed qui speciem feli-
citatæ tantum habebant. Græcis autem, qui commodio-
ris vitæ pauca desiderarunt adminicula, firma erant cor-
pora & erecti animi. Quare etiam præstantissimi Au-
tores

Stoires & horum felicitatem ex sedula virtutum cultura, & illorum perniciem ex probitatis neglectu, quæ inter calorum & lixarum curas emarcuit, derivare non dubitant. Ita enim elegantissimus *ROLLINUS* : *a* quoi les Grecs furent-ils redevables de succès si étonnans & si fort au-dessus de toute vraisemblance, si non aux principes, dont j'ai parlé, gravés profondément dans leur esprit par l'éducation, par les exemples, par la pratique, & devenus en eux par une longue habitude, comme une seconde nature? Ces principes, on ne peut trop répéter, étoient l'estime de la pauvreté, le mépris des richesses, l'oubli de ses propres intérêts, l'attachement au bien public, le desir de la gloire, l'amour de la Patrie, mais sur tout un zèle pour la liberté, qui nul péril n'étoit capable d'intimider & une haine irréconciliable contre quiconque songeoit à y donner le moindre atteinte, qui réunissoit tous les esprits & faisoit cesser dans le moment toute dissension & toute discorde (*a*). Crevit quidem post hanc epocham magis magisque Græcorum numerus, promotæ etiam fuerunt & artes manuariæ & opes illorum, sed cum vicia simul inoleverunt, libertas & tranquillitas ipsorum decreverunt, nec pristinam Græci recuperare potuerunt gloriam.

(a) Vid. *Histoire Ancienne* Tom. IX, p. m. 800.

§. VIII.

Certius autem nullum est argumentum, quo evinci potest, felicitatem reipublicæ non ex quantitate, sed ex qualitate civium dependere, quam quod eadem civitas parem omnino habuerit incolarum numerum, & cum floruit & cum, ætate velut provecta, a potentia culmine defecit. Consideremus solummodo Athenas, quæ civitas populis æque potens fuit, & cum imperium Græciæ tenebat, & cum in servitutem erat redacta. Ex Platone (*a*) enim & Plutarcho (*b*) constat, quod viginti millia civium sustentaverit, cum res ma-

ximas

ximas gessit, ingentes Persarum exercitus prostravit, de summa imperii cum Lacedæmoniis contendit, & denique Siciliam in suam redigere potestatem fuit conata. Longo deinde post tempore, cum *DEMETRIUS PHALEREUS* numerum Atheniensium instituit, invenit viginti & unum mille civium, decem advenarum millia atque quadringenta millia servorum (*c*). Qui numerus nequidquam diminutus fuit, cum *PHILIPPUS*, Macedonum Rex, vi & calliditate totam subjugaret Græciam, & ad Athenarum portas fulminaret. At quam dissimilis majoribus suis tunc fuit hic populus? Scilicet ex *DEMOSTHENE* constat, quod Orator hic maximam adhibuerit industriam, ut cives suos, qui utraque dormitabant aure, ad imminens extinguendum incendium excitarer, & quod ex sopore hoc tandem expergefatti, *PHILIPPUM* metuerint, non tam ut libertatis suæ oppressorem, quam potius, ut voluptatum, quibus submersi erant, molestum turbatorem (*d*). Lacertos quidem adhuc moverunt Athenienses, sed moliminibus his exitium suum non impediverunt, verum accelerarunt. Graphice, ut solet, quæ dicenda essent, persequitur acutissimus *MONTESQUIEU* : Cette ville (Athènes) qui avoit résisté à tant de défaites, qu'on avoit vu renaitre après ses destructions, fut vaincue à Chéronée, & le fut pour toujours. Qu'importe que *PHILIPPE* renvoie tous les prisonniers? Il ne renvoie pas des hommes. Il étoit toujours aussi aisé de triompher des forces d'Athènes, qu'il étoit difficile de triompher de sa vertu (*e*). Talis erat rerum externarum facies, nec melior internarum fuit conditio. Nam qui ceteros ad meliorem reducerent frugem, discordiarum semina ubique spargebant, & in turbido piscari sollicitè quærebant.

(a) In *Crisia*. (b) In *Vita PERICLIS*. (c) Vid. *ATHENÆ Deipn.* Lib. VI, p. m. 136. (d) Quantum a Majorum defecerant vir-

virtute Athenienses hoc tempore, vel inde luculenter patet, quod legem ferendam curaverint, qua capite plegeretur quisquis in medium consulere auderet, ut pecuniam, Comœdiis aliisque ludicris rebus destinatam, ad bellorum apparatus adhiberent. Adeo Marathonios & Salaminios obliti erant triumphos; ita voluptates libertati atque ignave otium veræ felicitati præferebant. (c) Confr. L'Esprit des Loix Tom. I. p. m. 40. & 41.

§. IX.

Sive jam sententiam Romanorum de arduo, quod hic tractamus, argumento consulamus, sive quid de ipsorum imperio fata constituerunt, expendamus, satis superque deprehendimus, quod veram reipublicæ felicitatem nec ex amplitudine terrarum, ipsis subjectarum, nec, qui hinc plerumque dependet, ex numero civium præcipue æstimaverint, neve quod maxime flourerit Roma, dum incolis luxuriavit. Circa ipsa enim imperii auspicia, cum NUMA Pompilius videret, cives suos in regno prorogando admodum esse feroces, simulque metueret, ne ab adfectu hoc in diversa quævis patriæ noxia, abriperentur, tanto impetui firmissimum posuit obicem, metum Numinis. Inter cetera enim, quæ commentus est, sacra Terminum quoque, ceu Numen quoddam, instituit, cui caput ejus sacrum sancivit, qui limites imperii transferre aut tollere auderet (a). Ipsi quippe persuasum erat, felicitatem civitatis non consistere in vasta imperii magnitudine; præsertim cum regna, justis etiam ex causis aucta, ceteris sint invisa, sed in bonis civium moribus & tranquillitate. Nihilo tamen minus potentia Romanorum sequentibus temporibus adeo fuit amplificata, ut locum, quo terminum suum constitueret Mavortia hæc proles, inveniret fere nullum: fatendum tamen est, felicitatem publicam cursum victoriarum æquis passibus non fuisse secutam. Testem hujus opinionis habemus gravissimum SCIPIONEM A-

fricam.

fricamum, qui magnam molem oneri potius, quam usui esse existimans, DEOS immortales potius orandos esse duxit, ut populi Romani res perpetuo conservarent incolumes, quam ut meliores easdem amplioresque facerent; ideoque publicis tabulis solemne precationis carmen ad hunc modum emendari jussit. Ita omnino censuerunt prudentiores, & quod non erraverint, adfactum docet Historia. Si enim imperium Romanum ad instar hominis nobis proponamus, adeoque infantiam ejus, adolescentiam, juventutem atque senectutem distinguamus; facile constabit, quod felicissimus non fuerit ejus status, cum densissima hominum agmina sustentavit. Sub SERVIO TULLIO enim, Sexto Rege, censa sunt octoginta millia civium (b). Sub Consulibus vero sensim increvit hic numerus, ut in tabulas Censorum nongenta millia fuerint relata. Sub AUGUSTO ita multiplicati fuerunt Romani, ut Censores quatuor circiter milliones civium invenerint, qui sub CLAUDIO imperatore parum aberant a septem millionibus (c). Enimvero nisi præter & contra Historiam sapere velimus, concedendum erit, florentissimam fuisse hanc rempublicam sub Consulibus, & quidem ab APPIO CLAUDIO, usque ad Triumviros constitutos, quamvis mediocres omnino hoc intervallo fuerint vires Romanorum, nec dimidiam eorum partem, qui sub CLAUDIO vixerunt, conferent. Tunc enim & interna tranquillitate & felicitate ipsi fruebantur, & toti ferme orbi, ad hujus stuporem, tam eximia concesserunt munera; plane ut vicisse alias nationes viderentur, quo libertatem, ipsis ereptam, liberaliter restituerent. Hoc autem totum, quod certe maximum est, non suis phalangibus, quibus numerosiores in aciem sæpe produxerunt aliæ gentes, sed, post providam Summi Numinis curam, egregiis virtutibus acceptum referebant. Nolite, inquit SALLUSTI-

Us, existimare Majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. - - - Alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Et alio in loco adserit; Ac mihi multa agitati constabat, paucorum civium egregiam virtutem omnia patravisse (d). At proxime ante mutatum imperium & sub imperatoribus omnia in pejus ruere cœperunt. Nam libertatem & amiserant & amplius pati non poterant. Securitas ipsorum, quæ non a legibus, sed a Principum pendebat arbitrio, temporaria admodum fuit; cum multi horum imperium, inique partum, inique & crudeliter administraverint. Opes denique eorum, ex toto pæne orbe congestæ, parum adeo ipsis profuerunt, ut potius invitamenta fuerint, quibus ferocissimæ nationes ad civitatis hujus oppressionem alliciebantur. Harum incursionibus nullas remoras fecit numerus. Paria quidem, forte etiam nitidiora, quam majores, habebant corpora, sed impares prorsus gerebant animos, nullis virtutibus excultos, sed omni vitiorum genere usque adeo emollitos, ut sub CLAUDIO Imperatore ad solum armorum conspectum exhorrescerent (e).

(a) Vid. DIONYSII Libr. II. Cap. 76. (b) Confr. LIVII Hist. Libr. I. Cap. 44. (c) Vid. LIPSIIUS de Magnitudine Romana Libr. I. Cap. 7. p. m. 387. (d) In bello Catilin. (e) Vid. de MONTESQUIEU Considerations sur la Grandeur &c. p. m. 130. 131.

Si ab antiquissimis temporibus ad ea, quæ nobis propiora sunt, jam progrediamur, horum etiam annales sententiam nostram luculenter confirmant, quod, brevitati litantes, exemplis tantum quibusdam ex historia Galliarum & Angliarum depromtis ostendere conabimur. Inde igitur ab ævo Regis Galliarum, CAROLI IX, in isthoc usque tem-

pus viginti circiter miliones hominum, simul viventium, sustentavit hoc imperium, ac proinde æque numerosum per Europam aliud nullum invenimus. Nulla igitur Natio, urgente necessitatis telo, magnas adeo copias in aciem producere solet, ac Gallica; quod vero amplissimis ejus apparatibus optatus non semper responderit successus, neminem fugere potest. Scilicet tantis exercitibus Batavos superiori sæculo adgressus est LUDOVICUS XIV, quantæ necessaria videbantur, non ad subigendum, sed uno actu opprimendum hunc populum; verum adeo infelicitè res suas gessit, ut regnum pæne exhaustum, & pacem, quam aliis offerre solebat, care satis redimere coactus fuerit. Nec densissimis phalangibus, quibus Germaniam nostram inprimis ætate inundarunt Galli, lauta militiæ stipendia sunt consecuti, sed fortunam a se aversam ubivis fere experti fuerunt. Causam quorundam horum malorum graphice omnino exposuit Maximus Heros & Philosophus (a), qui auctoritate sua sententiæ nostræ plurimum lucis & roboris addit. Valeant autem castra & intra ipsam nos recipiamus Galliam, ut felicitatem incolarum cognoscamus. Quam gravia & facultatibus superiora tributa civibus imponantur, gravissimæ inprimis orationes, quibus Parlamentorum Præsides Regum animos ad misericordiam, sæpe licet incassum, commovere sunt annisi, satis indicant, quorum asperitatem, immane quantum auget Quæstorum nonnullorum avaritia, qui Tantalorum more, in divitiarum adfluentia minime sitire dicuntur. Infidam quoque hic securitatem experti sunt HUGGONOTTI, quorum præclara in Reges & Patriam merita impedire non potuerunt, quominus ducenta eorum millia, revocato Edicto Nantensi, dulcissimos relinquere penates atque in exteris regionibus asylum sibi querere cogerentur. Atque horum expulsionem, seu gravissimam cladem, quam

unquam passa fuit Gallia, nobis proponunt Auctores. Quod sicut verissimum esse arbitramur; ita rursus patet, quod felicitas civitatis sola civium multitudine non constituatur. Cum enim expulsi vix centesimam totius Nationis partem conficerent, defectus hic haud ita operose suppleri potuit; supererat tamen adhuc negotium gravissimum, eundem scilicet vigorem & pares virtutes novorum advenarum animis instillare, ut civitas amissum recuperaret florem. Si hinc in vicinam Britanniam nos conferamus, multo quidem minorem hominum multitudinem hic reperimus, quippe quæ, ex præstantissimorum Politicorum calculo, octo milliones solummodo complet; attamen longe major hic cernitur felicitas, sive sagatos sive togatos consideremus Anglos. Quis enim nescit, quanto ardore aut quam prudenti entusiasmo in gravissimis bellis, in quibus tam superiori, quam nostro sæculo præcipuas fere sustinuerunt partes, sese gesserint, aut quod ex his, opibus & regionibus auctiores plerumque excesserint, quamvis contra hostes longe numerosiores dimicaverint? Causam tanti successus non aliunde, quam ab erecta indole hujus Nationis repetimus, qua fit, ut nihil tam carum habeant Britanni, quod Patriæ suæ saluti impendere dubitent. Eadem porro artibus manuariis, nec non egregiis aliis institutis, ex quibus amplissimos redditus facere solent mortales, & fovendis & promovendis abunde sufficiunt, adeoque maximam hic deprehendimus opulentiam. Libertate denique & tranquillitate eximia, quæ inter dissensiones satis vehementes non minuuntur, sed indies confirmantur, adfatum gaudent. Quod cum ita sit, dilucide rursus patet, quod diversa omnino sit ratio felicitatis civilis atque multitudinis incolarum, & proinde quod illa ab hac non tota dependeat.

(a) Vid. *Memoires pour servir à l'Histoire de Brandebourg* Paris. II. p. III. 22.